

vit, et in Aegypto a Sacerdotibus astronomiam secretasque traditiones hausit. Postquam ter in Sicilia habitasset, atque universam Graeciam peragravisset, denique Athenis sedem fixit; in suburbano gymnasio, Academia, celeberrimam scholam inchoavit quae per trecentos et amplius annos in Graecia floruit, ipsoque vivo jam permultos sectatores habuit, quos inter Isocratem et Demosthenem.

2° Supersunt Platonis epistolae 13 et dialogi 55, quos pro diversitate materiae varie partiti sunt tum veteres tum recentiores. Stylus ejus maxime poeticus, non raro obscurus, praesertim in epistolis. — Ex tot scriptis difficile est clare doctrinam Platonis exsculpere: *a)* quia in plerisque dialogis, aliorum potius dogmata exponens, propriam sententiam insinuare satagit, — *b)* quia dialogistica forma utens, frequenter a primario scopo aberrat, — *c)* quia dictione poetica, sub multitudine allego-riarum et aenigmatum opiniones suas abdit, — *d)* quia ad instar Pythagoraeorum, in explicatione non solum rerum naturalium, sed etiam aliarum, proportionibus et figuris geometricis utitur, — *e)* quia crebro abstractionibus et generalissimis notionibus indulgens, non satis sensibus loquitur.

3° Haec data opera fecisse videtur Plato, ne doctrina ejus esoterica, secreta, profanis, scholae placitis non initiatis, revelaret. Quenam haec secreta doctrina fuerit, satis tamen deprehendi potest, cum semper ejus praecipua intentio non obscure intelligatur; videturque fuisse sequens: «artium et scientiarum omnium regulas et principia in veritatibus universalibus et in rerum essentiis positae esse; ipsas autem essentias in typo omnis veri, boni, pulchri, in ipsius divinitatis notionibus esse sitas; ex iis proinde notionibus et ex contemplatione Dei omnia esse repetenda.» — Hanc doctrinam suam velasse creditur *a)* exemplo Aegyptiorum sacerdotum et Pythagoraeorum, — *b)* ex superbia, ut a profanis, et a discipulis, majoris fieret, — *c)* ex persecutionum timore, — *d)* quia eam a multitudine et non initiatis comprehendi noluit. — Atque ita doctrina ejus publica, seu exoterica, praeparatio quaedam et quasi introductio ad doctrinam esotericam erat. Vinculum autem inter utramque, ac cardinem totius suae philosophiae posuit celeberrimam illam idearum suam theoriam.

4° Ad sequentia reduci potest illa *idearum theoria*: *a)* Dantur in Deo notionnes quaedam, ideae, prototypi, in quos Deus mundum creans respexit, sicut puer scribere discens in suum exemplar; — *b)* illae ideae sunt formae rerum, sunt genus et essentia rerum, aeternae, improductae, per se existentes, semper divinae rationi praesentes, non tamen sunt ipsa divinitas; — *c)* ideae solae nomen *entis* merentur, neque alius est philosophus nisi qui eas contempletur; — *d)* quidquid anima nostra percipit, id habet ex participatione cum essentia divina; — *e)* ideae illae sunt innatae, semper residentes in intelligentia suprema; unde non percipimus nisi reminiscencias (cfr. Logie. prop. 41, et Psychol. prop. 33, sqq.) — *f)* sensationibus non verum et immutabile rerum esse attingimus, sed ea tantum quae in rebus apparent, variant, ac deficiunt ab entitate; nihil proinde vere scientificum.

5° In illa theoria fundantur reliqua platonicae philosophiae placita. Scilicet: *a)* in *logica*, praeter regulas definitionis, divisionis, ratiocinii, duplicemque methodum, analyticam et syntheticam, tres animae operationes distinguit: ideas, notionnes (seu ideas umbratiles) et sensationes. Solae ideae proprie dictam certitudinem et proin scientiam gignunt; sensationes autem, non nisi individualia docentes, materiam praebent ex qua formantur notionnes, quae tantum probabilitatem seu opinionem pariunt.

b) quoad *ontologiam*: disserit de ente, de essentia, substantia, unitate, multiplici, finito, infinito, et de diversis causarum speciebus.

c) quoad *theologiam*: varia praeclarissima de Deo habet; v. c. Deum esse immutabilem, summe perfectum, supremam rationem, incorporeum, liberimum, potentissimum, supremum legislatorem, providum, fontem omnium veri, boni, pulchri, etc...

d) quoad *cosmologiam*: mundi originem explicare tentans, Deum non ut creatorem proprie dictum, sed tantum ut fabricatorem agnoscit, qui ex materia sibi coaeterna, sibi que opposita et resistente, juxta aeternum exemplar mundum condidit, eique ut ingenti animali, animam quam vocat mundanam, universalem, indidit. Unde mundus est temporaneus, unus, neque alter est possibilis, quia iste repraesentat perfecte ideam exemplarem, ac propterea est etiam optimus. — Porro materiae elementa sunt ignis et terra: omnia enim materialia videri et tangi possunt; sine igne vero nihil videri, sine terra nihil tangi posset. Sed haec duo elementa cum sibi analogae non sint, ut uniri possint, duo alia elementa intermedia requirunt, aerem et aquam, quae inter se fluiditate analogae sunt, et aer igni, aqua terrae.

e) quoad *psychologiam*: statuit animam hominis simplicem et spiritualement, eamque ex Deo quidem, divinaeque origine esse, sed mediante anima mundana; et hinc, praeter divinam naturam, aliquid ex materia habere, ut sensibus locus esset, et origo mali in ea explicari posset; addit autem animam se ad corpus habere ut principium movens, non ut informans. — In anima ut cognoscente triplicem supra memoratam operationem discernit, cui in anima ut amante triplex respondeat effectio: amor boni absoluti respondens ideis, amor animalis sensationibus correspondens, et amor quidam illis intermedius, *θυμός*, affectus qui nec vitam animale nec bonum absolutum pro objecto habeat; correspondens notionibus, v. c. ambitio, amor gloriae, etc. — Inde animam in tres quasi partes seu regiones distinguit: partem superiorem, in qua resideat boni absoluti amor, quae pro organo habeat caput seu cervicem; partem mediam, in qua *θυμός*, cujus organum cor; partem infimam, in qua amor animalis, cujus organum intestina. — Exhibet animam humanam in praecedente vita liberam ab omni materia, Deorum consortio fruentem, ideas divinas intuentem; ob aliquam culpam, in praesentem vitam delapsam, corpori materiali inclusam tamquam carceri. Post mortem vero, animae sunt immortales, et quae bonae, in societatem Deorum redeunt, quae malae, in tartarum aeternaque tormenta labuntur, quae nondum bonae, nec

tamen incorrigibiles malae, per metempsychosin in novo corpore novam vitae probationem subeunt.

f) quoad *ethicam*: hominis finem constituit in imitatione Dei; tenetur scilicet homo ipsi Deo, quoad fieri possit, se efficere similem; proinde, sicut Deus extra se nihil egit nisi ut ideas rerum archetypas ad effectum perduceret, ita et homo amorem rerum inferiorum et instabilium subdere tenetur amoris boni absoluti. Summum igitur ipsius bonum in ipsa summi boni scientia consistit. Rationali animae parti prudentia, irascibili fortitudo, concupiscibili temperantia praesit oportet, et inter has omnes consensionem servare debet justitia; unde oriatur virtus, quae consistit in perfecta omnium facultatum harmonia et apta omnium virium ordinatione.— Inter media virtutem acquirendi, praeter corporis edomationem et animi moderationem, etiam studium matheseos annumerat, unde Academiae inscripsisse fertur: μηδεὶς ἀγεομέτρης εἰσίτω, rebatur enim animam per mathematicas abstractiones contemplationi idearum rerumque divinarum assueferi.— De libero arbitrio quomodo senserit, vix dignosci potest; modo enim veram libertatem affirmare, modo negare videtur.

g) quoad *politicam*: admittit jus naturale et legem naturalem independentem ab auctoritate et legibus civilibus existere; attamen civilis auctoritatis jura ita extendit, ut eis jura singulorum omnia plane absorbeantur, atque civitas qua talis sit finis omnium, et absolute dominetur.— Varias reipublicae formas examinat, inter quas aristocraticam praefert, in eaque juxta divisionem trium animae partium, tria potissimum membra distinguit: custodes seu regentes, adjuutores seu milites, artifices seu populi massam. Horum perfectio est, ut custodes sapientia intellectus emineant, adjuutores vero fortitudine animi, θυμοῦ, artifices tandem temperantia appetituum; omnes justitia contineantur qua et inter se et civitati debita omnia observent, recteque ad finem civitatis cooperentur. Quem finem societatis non alium esse docet quam ut homines gradatim ad amorem boni absoluti perducantur, quod fiet divisionum causas destruendo quae exsurgant inter homines, et id quod multiplex est ad unitatem reducendo.— Hoc quidem principium in se minime vitiosum est; sed eo misere abutitur Plato in applicatione, suadens communionem honorum et corporum, educationem in familia nullam, totam ab ipsa nativitate sumptibus et curis publicis, uniformem secundum ejusque indolem, ad civitatis obsequia et bonum publicum. Hinc individuis vera libertas nulla, jura propria nulla, coacta et ab auctoritate civili ordinata et distributa omnia; unde horrenda confusio in societate, nulla parentum in pueros auctoritas, nulla liberorum vera educatio, monstruosa immoralitas oriretur.

6° Mortuo Platone, circa 347 a. Ch. doctrina ejus per plures annos intacta permansit, ast brevi diversa ratione fuit modificata, unde exorta est distinctio inter academiam veterem, mediam, et novam. Quarum etsi doctrinae ita inter se discrepent, ut vix concipiatur quomodo ex uno fonte ortum ducere

queant, non improbabiler tamen ex eo res explicari posse videtur, quod primae academiae philosophi, cum oralem Platonis doctrinam acceperint, adhaeserint ejus doctrinae esotericae seu mysticae, sequentes vero doctrinae ejus exotericae seu publicae, quam varie commentati sint.

7° *Academia vetus* a Platonis mente vix recessit. In ea docuerunt: a) *Speusippus* Platonis consanguineus, vir doctus et acri ingenio, sed moribus pessimis. Is docuisse videtur definitionem supponere cognitionem omnium similium et dissimilium rei definiendae, — bonum non posse admitti ut primum principium, — optimum non esse primum, sed evolutionis terminum.

b) *Xenocrates* Chalcedonius, terminologiam pythagoricam in philosophiam platoniam induxit, Deum monadem, animam universi duadem dixit, etc.

8° *Academia media* jam magis ad scepticismum inclinavit; eam aliqui subdividunt in Academiam secundam (Arcesilai) et tertiam (Carneadis).

a) *Arcesilaus* (315—241 a. Ch.), hoc celebre dicebat: «unum scio, quod nihil scio.» — Sed neque hoc ipsum se certo scire, nec quidquam aliud, sed solas practicas probabilitates mox ejus discipuli admiserunt.

b) *Carneades* Cyrenaeanus (214—129 a. Ch.), ab Atheniensibus Romam missus, philosophandi studio romanam juventutem incendit, Arcesilai dubitationem amplius evoluit. Cui Cato Major adversans, non tamen satis obsistere potuit, ob ambitiones et novitatis curiositates excitatas. Carneadem accusant quod contra Deos multa disseruerit; sed falso, non enim nisi dogmatistarum de Diis assertiones, praecipue Stoicorum de fato, impugnavit. — Etiam oratoris famam assecutus est.

9° *Academia nova* iterum ad dogmatismum rediit; eam quoque aliqui subdividunt in academiam quartam (Philonis) et quintam (Antiochi).

a) *Philo* Larissaeus, Clitomachi discipulus, tempore bellorum Mithridaticorum, ad puriorem platonismum accessit, ethicam maxime coluit, cum Stoicis multa quaesivit conciliare.

b) *Antiochus* Ascalonita, Philonis discipulus, Academiae placita cum doctrina Peripateticorum et maxime Stoicorum conciliare studuit. Illum audivit Cicero, Lucullus secum habuit.

§ 2. SCHOLA ARISTOTELICA.

1° *Aristoteles* Stagiritas 384 a. Ch. natus, filius Nicomachi medici, regi Macedoni Amyntae amicus, per viginti annos Platonis, dein per tres annos Xenocratis auditor, postea Alexandri Magni per octo annos magister, a quo innumeris manuscriptis et collectionibus postea ditatus fuit. Athenis quum Xenocrates in Academia doceret, ipse in Lyceo, suburbano gymnasio scholam aperuit, deambulans plerumque, unde peripatetici nomen, mane provectiones docebat scientiam occultiore, acroamaticos auditis, vespere autem pluribus concurrentibus communiorem scientiam, exotericos sermones, exponebat. Post Alexandri mortem impietatis accusatus Athenas reliquit,

Chalcidem in Euboeam concessit, ubi paulo post obiit, a. 322 a. Ch. — Is inter maxima totius generis humani ingenia numerandus est; acuitate et rectitudine mira, mediam viam inter extrema omnia indicat, philosophiae nomine nihil contra naturalem rationem humanam venditans, sed sensui naturae nostrae communi conformia quaeque expoliens, vindicans, aliquando rectificans, semper stabiliens ac defendens; ac si quando et quidem satis graviter errat, id ex eo solum fecit, tum quod experientiae inniti quaerens, modernis nostris instrumentis acutissimisque observandi mediis carens, ea necessario ignorare debuit quae nostris ultimis saeculis patefacta sunt; tum quod extra revelationem supernaturalem vivens, lumine ille orbus erat, quo a solis christianis scholasticis superari potuit.

2° *Methodus ejus* est, ut nihil a priori construat, nihil ex solis innatis, vel ex solis ideis evolvat, sed facta experimentalia observet, naturales effectus ad causas et ad leges universales reducat a posteriori; nec tamen solis factis inhaerens sensibilibusque notionibus, sed ope ratiocinii, et principiorum analyticorum applicatione ad suprasensibiles considerationes adscendens, altiores et altissimas causas attingat atque ordinatas inter se perspiciat. Inductiva igitur generalis methodus, in particularibus vero conclusionibus saepe deductiva. — Hinc factum est *a)* ut lingua minus quam Plato poetica, magis scientificè determinata et ampliata usus sit; — *b)* ut factis naturalibus observandis intentus, nullam fere humanam scientiam intactam reliquerit, omnia tractaverit, praesertim vero physica naturalia quaevis, tum cosmica, tum biologica et organologica, tum psychologica, sed et liberalium artium, rhetoricae, poeticae, praecepta scripserit quae etiamnum tractatum omnium circa eas res fundamentum sint; — *c)* ut etiam minimis rerum partibus, accidentibus, circumstantiis, possibilitatibus attentus, nihil negligere in observationibus docuerit; quod quidem hodie si melius fit, ab eo tamen doctrina et conatibus faciendum esse monstrabatur. — Si cum Platone comparatur Aristoteles, ille ut argumenti creator, iste ut ejusdem distributor haberi potest. Frequenter Platonis idearum theoriam impugnat, nec tamen idealium ordinem veritatum negat, admittitque notiones indemonstrabiles; principium vero empiricae experientiae, « nihil esse in intellectu quod non prius fuerit in sensu », multum extollit, nec tamen materialismi vel sensualismi accusari potest, qui sublimissimas metaphysicas veritates et causas, ipsumque Deum consideratione attingit.

3° Universam philosophiam alias aliter dividit, nihil enim vel parum interesse aestimabat quomodo dividatur; notior est divisio ejus in practicam et theoreticam; cui ut instrumentum praemittit logicam; theoreticam subdividit in physicam et metaphysicam; practicam vero in ethicam et politicam.

a) In *logica* ea fere exponit quae hodieum scholastici philosophi docent (cfr. *Logic.*), suntque illi quinque libri quorum collectio *Organum* vocata passim est.

b) In *physica*, cui scientiae ipse omnium antiquorum maxime contulit,

mundum explicare conatur ope trium principiorum, quatuor causarum, quatuor elementorum, et legum motus.

Principia tria corporum in fieri sunt materia, privatio, forma (cfr. *cosmolog. prop. 54*).

Causae quatuor sunt tum intrinsecae corporum in statu esse: materia et forma (cfr. *cosmolog. prop. 53*, et *ontolog. prop. 66*), tum extrinsecae rei cujusque: efficiens et finalis (cfr. *ontolog. prop. 56*, *sqq.*, et *64*, et *cosmolog. prop. 32* *sqq.*, *38* *sqq.*).

Elementa quatuor sunt alia primordialia: terra quae est gravis, et ignis qui est levis; quae junguntur duobus aliis elementis inter se analogis, quorum alterum, aqua, de natura terrae, alterum, aer, de natura ignis participat.

De *Motus* natura et legibus, cfr. *cosmol. prop. 25*, *sqq.*

Continetur haec Aristotelica doctrina in libris « *de rebus physicis*, — *de generatione et corruptione*, — *de meteoris*, — *de orbe universo*, — *de coelo*. »

Ad physicam specialem spectant libri: « *historia animalium*, — *de partibus animalium*, — *de generatione animalium*, » — summo labore et sagacitate compositi, — quibus alii aliqui passim, sed incertae authenticitatis, adduntur.

c) Physicae subnectit *psychologiam*, libris tribus *de anima* et aliis pluribus de quaestionibus variis particularibus quoad vitam. In his ea fere docet praecipua omnia quae scholastici etiamnum tenent de tribus vitis, de anima hominis unica, corporis forma substantiali, spirituali, ingenerabili et incorruptibili, de origine idearum, etc. (cfr. *organolog. et psychol.*). Utrum animam immortalem an aliquando mortalem admiserit, non bene certum nobis est, at Deum agnoscit Dominum qui tribuat bona vel mala pro meritis; id quod profecto in hac vita non obtinet.

d) In *metaphysica*, quam ipse vocat *philosophiam primam*, ea fere docet quae scholastici recentiores in *Metaphysica generali* (cfr. *Ontolog.*).

e) *Quoad Deum*: primum motorem a materia distinctum admittit, ast in evolvendis divinis attributis, multa quidem pulchra et vera habet, sed in nonnullis hallucinatur, praesertim circa creationem et scientiam divinam ac providentiam, quam negat. De Deo nullum specialem librum nobis reliquit, qui de omnibus specialiter egit!

f) In *ethica* multo inferior Platone, Virtutem in mediocritate collocat, i. e. exigit ut media sit virtus inter duo vitia contraria; quam opinionem postea S. Thomas et Scholastici multis prosequuntur. Finis virtutis juxta Aristotelem est voluptas quae ex dicta mediocritate generatur; idque passim exprimit dicens felicitatem in exercitatione perfectae virtutis consistere, ponitque proinde beatitudinem in bono prorsus humano, Plato vero in divino. De virtutum natura et divisione ac subordinatione acute et bene disserit, libris 10 *ethicorum ad Nicomachum*, 7 *ethicorum ad Eudemium*, 2 *magnorum moralium*.

g) In *politica* Philippo et Alexandro M. plus aequo assentans, monarchiae et quandoque despotismo favet, et varia alia ex institutionibus illius temporis vitiosa, praeceptis quibusdam bonis immiscet.

4° Moriens Aristoteles scholae suae curam demandavit Tyrtamo, Lesbio, qui ob eloquentiam nomen *Theophrasti* accepit, cui ad Augusti usque imperium successerunt *Strato, Lyco, Aristo, Critolaus*. Hi vero omnes in doctrina magistri plura innovaverunt. Praeter eos clari fuerunt alii non pauci.

§ 3. SCHOLA ZENONICA.

1° *Zeno* Cittius a. 350 a. Ch. natus, anno aetatis tricesimo cum Athenas venisset, primum Crateti, cynicae sectae tum principi, adhaesit; dein aliarum sectarum doctores audivit, et ex variorum placitis novum sibi systema conflavit, non completum illud quidem sibi cohaerens, at praesertim ob severam doctrinam moralem celebre, et satis diuturnum. Multos habuit asseclas, imprimis apud Romanos, ad fortia agenda et ferenda pronos. — Disputare solebat Athenis sub porticu, *στοῶν*, unde nomen accepit ejus schola.

2° Docebat philosophiam seu sapientiae studium esse perfectum bonum, i. e. virtutem, in qua hominis beatitudo consistat; — virtutem non in sola praxi sed et in scientia sitam esse; — triplicem igitur esse philosophiae partem: logicam, physicam, moralem.

a) *Logicam* dividit in *rhetoricam* quae in exornanda veritate, et *dialecticam*, quae in invenienda veritate versatur. — Multum insistit in axiome: «Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu;» — est anima ex suapte natura tabula rasa cui nihil inscriptum; cui proinde omnia inscribi debent, primo in sensationibus, ex quibus deinde intellectus abstrahens conceptus desumit, quibus a parte rei nihil nisi res singulares correspondent. — Quatuor sunt conceptus vel categoriae supremae: substantia, proprietas essentialis, quantitas, proportio. — Ex conceptibus intellectus format judicia et ratiocinia. — Criterium veritatis reponit in phantasiae seu repraesentationis claritate tanta, ut intellectus de re apprehensa persuasionem firmam assequatur. — Multus est *Zeno* in refutando *Democrito*, qui contendebat nos sensationes de rebus externis accipere per effluvia quarumdam minutarum particularum; quod si verum esset, externam tantum superficiem rerum cognosceremus. — Epicureos modo valde logico impugnavant Stoici, nec mirum, cum plures ex Stoicis ingenio admodum acuti fuerint, et praecipue cum atomismus logice valde absurdus sit.

b) In *physica*, a qua psychologiam et theologiam non distinguit, spirituum existentiam negat, nec tamen crassum materialismum admittit, sed sensationibus, omnibusque tum corporalibus tum intellectualibus phaenomenis, ut centrum unitatis assignat *sensum* quemdam *directorem*, quem graece *τὸ ἡγεμονικόν*, latine regium vel principale vocant. Hunc dicit esse «scintillam ignis divini» in aethera sparsi. — Et sicut homo, substantia una, duabus partibus constat, una interiore, activa, directrice, altera exteriori, passiva, directa; ita et magnum totum quod mundus vocatur, constat parte invisibili,

activa, dirigente, quae est aether purissimus, seu Deus, et altera visibili, passiva, directa, quae est materia. — Deus itaque aeternus, universalis, prima causa est quae actione sua omnem materiam penetrans, ei formam indidit. Dei igitur existentia ut rationis ordinantis mundum, probatur ex ordine mundi; potestque Deus spectari ut anima mundi et ut ratio universalis. — Mundus autem non solum est totum aliquod animatum, magnum animal, sed etiam totum rationale; cujus omnes partes inter se ligatae sunt, et in se mutuo agunt. — Est igitur in eo perpetua et necessaria causarum connexio quae omnia regit, nempe datur fatum cui omnia subjecta sunt; Deus enim ex necessitate naturae suae agit; — nec verae libertati humanae locus superest, etsi eam verbis utcumque salvam facere conati sunt aliqui stoici.

c) In *Ethica*, quod justum, honestum, sanctum est, hoc unicum esse bonum docet, quod vero injustum, hoc unicum esse malum; prius esse appetendum, utpote solam propriam hominis felicitatem; posterius fugiendum; reliqua omnia esse indifferentia, quae proinde virum vere sapientem minime possint movere. — Sapientis nimirum perfecta forma est, ut sit perfecte indifferens erga omnia bona et mala externa, liber a passionibus, constans in omni eventu et necessitudine, atque ita Deo similis sibi sufficiens, alios tamen homines ut compartes amans, iis benevolus, erga omnes justus. — Ergo sapienti servandus immotus quietusque animus semper, casus adversi fortiter ferendi; sequenda natura, et si forte ea nobis adversetur, tunc vita est suicidio abjicienda. — Licet autem ex principiis stoicorum sequeretur inimicos esse diligendos, practice tamen id minime praestiterunt. — Stoicorum itaque distinctivus character est superba austeritas et exaggerata constantia.

3° Post Zenonem praecipui Stoici fuerunt:

a) *Cleanthes*, Assius (ex Troade), pauperrimae conditionis; paupertatem secundum philosophiam tulit; docuit sedem animae mundi esse solem; animam humanam a parentibus in filios traduci; Dei existentiam probari ex ordine mundi, ex innata idea entis divini, ex terrore quem in nobis excitant insoliti naturae eventus.

b) *Panaetius* Rhodius, 180—111 a. Ch. Scipioni et Laelio familiaris, doctrinam stoicam ingenio et moribus Romanorum temperavit.

c) *Possidonius* Apameensis, Stoicismo doctrinas Platonicas et Aristotelicas eclectice adjunxit. Eum Rhodi docentem audiverunt Cicero et Pompeius. In eo secta Stoicorum primum defecit, circa 50 a. Ch., cum per 260 annos stetit. — Postea tamen extra scholarem traditionem Stoica doctrina non paucos alios occupavit: cfr. infra.

§ 4. SCHOLA EPICUREA.

1° *Epicurus* Gargettinus, ex Attica, circa 341 a. Ch. natus, successive Platonis et Democriti discipulos audivit, et tum Socraticorum tum Eleatensium libros pervolvit, atque ex horum praecipue principiis novam doctrinam conflavit, quam Athenis ad instar Platonis in peramaeno horto docuit, innumerisque libris explicavit. — Exemplo Socratis universam philosophiam ad praxim referendam ducens, beatitudinem ut unicum finem proposuit, eoque quaecumque logica, cosmologica, physica, theologica, ethica vel politica attigit, constanter reduxit.

2° Doctrina ejus ad ista reduci fere possunt :

a) In *Logica*, duas in intellectu operationes distinguit : sensationes et anticipationes. — Sensationes sunt impressiones quas ab objectis externis accipimus, quarum naturam et formationem cum Democrito explicat, ope emanationum ab ipsis objectis externis profectarum, et cum hominis organismo se combinantium. — Anticipationes sunt sensationes generalisatae, seu notiones ex repetitis sensationibus efformatae, sine quibus ratiocinari non possumus. — Cum sensationes non sint nisi ipsa naturae actio, in ipsis unicum veritatis notam seu criterium contineri statuit. — Hac veri cognoscendi regula instructus, homo omnes dolorum causas vitare, et quantum fieri potest a se removeere tenetur. Ad eundem vero finem obtinendum, mundum quoque cognoscere oportet.

b) In *Cosmologia* statuit materiam ex simplicissimis partibus, ex atomis constare, quae perpetuo motu a se invicem vel attrahantur vel repellantur, et varias identidem formas induant. — Ad hanc Democriti doctrinam ut mundum ex fortuito atomorum concursu sibi componat, addit motum obliquum et clinamen.

c) In *Psychologia* : quum praeter atomos et vacuum nihil sit reale, anima humana ex atomis composita, hinc materialis et mortalis est; constat autem ex atomis subtilissimis et maxime rotundis, nempe ex ignea, aerea, luminosa, et quarta aliqua anonyma atomo quae est principium sensationis. — Repraesentationes rerum fiunt per imagines, quae a corporibus emanantes, in animam penetrant. — Voluntas animae excitatur quidem objectorum apprehensione, nulla tamen ratione subjacet necessitati vel fato.

d) In *Theologia* : Dii sunt aeterni, et constant ex atomis; — eorum cognitionem acquirit homo per imagines, praecipue in somniis; — sunt beatissimi, nec proinde anxii de mundo formando et gubernando, sed rerum nostrarum plane incurii; — quare non ob influxum suum in sortem nostram sunt timendi, sed ob naturae suae excellentiam sunt venerandi.

e) In *Ethica* : summum bonum hominis est beatitudo, i. e. voluptas, seu absentia ingratarum, praesentia gratarum sensationum; — ergo cavendum ne sensationes gratas eas, vel eo modo, admittamus, ut ingratas post se trahant; — prudentia igitur summa virtus est, cui sociari debent temperantia et justitia.

f) In *Politica* : eandem beatitudinem statuit ut finem et vinculum societatis, quae ex pacto tantum inter homines constat, ac solvi potest quum primum haec intento scopo non amplius inservit.

3° Est ergo Epicurus vel secretus atheista, vel certe inconsequens theista; ac per suum systema ad maximam immoralitatem homines seduxit. Habuit discipulos plurimos, passimque late diffusa est ejus doctrina; sed ob turpe ignaveque otium pauci discipuli innotuerunt. — Ultimus scholae magister fuit *Diogenes* Tarsensis, circa 63 a. Ch. — Alii tamen multi, etsi nulla schola jam erat, his doctrinis adhaeserunt, etiam apud Romanos tempore imperatorum (cfr. infra).

ARTICULUS 4.

Scepticismus Pyrrhonicus.

1° *Pyrrho* Elius, coaevus Alexandri Magni, docuit nihil a parte rei esse pulchrum, justum, verum; idem esse et non esse; ea omnia lege et consuetudine determinari; — res nostrae cognitioni esse prorsus impervias; unde abstinendum ab omni judicio; — quae animi suspensio sit omnis felicitatis fundamentum, quietis nempe quae nulla re turbari possit.

2° Pyrrhonis discipuli plures fuerunt, quos inter emicuit *Timon* Phliasius, qui item beatitudinem in otio intellectuali seu abstinentia ab omni judicio reposuit; — de nulla re certi quid sciri posse; id enim aut experientia aut ratione cognosceretur; atqui non experientia, cum sensus sit subjectivus, et pro variis circumstantiis variabilis; neque ratione, quia res ipsae sunt in perpetuo fluxu, carent omni firma determinatione, et quia nulla est veritas contra quam non tot sint rationes quot sunt pro ea.

3° Ad scepticismum, moderatum tamen, inclinabat Academia media, solam certitudinem negans, probabilitatem ejusque varios gradus admittens; de qua cfr. supra.

4° Pyrrhonis sceptisim audacior renovavit *Aenesidemus* Gnossius, circa 80 a. Ch.; dubio utitur ad refellendos dogmatistas et Heracliti systema restaurandum; — decem enumerat fontes dubii, scilicet a) diversitatem individuorum viventium generatim, quibus proinde diversimode apparere objecta sensuum debeant; b) diversitatem etiam inter homines, tum in corpore tum in anima, qui ergo varie de rebus sentire debeant : quis autem verius? c) varietatem facultatum sensitivarum etiam in uno eodem homine; d) adjunctorum varietatem sub quibus eadem res nobis se exhibent; e) situum, intervallorum, locorum diversitatem; f) permixtiones impressionum ex variis objectis in nobis productarum; g) variationes corporum quoad quantitatem et structuram, unde variae in nobis sensationes; h) varietatem relationum quibus res variae sive ad se invicem sive ad nos subsunt, dum se nobis manifestant; i) ipsam frequentiam vel raritatem rerum quae nobis appareant, vel nostrarum de iis perceptionum; k) varietates inter victum, mores, leges, mythicas